Caput XI.

A tis Christi nequeant videre:& aures surdæ,vt spiritales scripturarũ sensus non possint audire. Vbi autem scripta sit hæc sententia,non satis apparet.

Isaiæ.29 Tamẽ beatus Hieronymus dicit eam in Isaia scriptam,vbi nos legim⁹: Miscuit vobis dominus spiritum soporis . claudet oculos vestros. prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet. Ego autem si aliud quàm tantus doctor auderem dicere,magis in Deuteronomio illam inueniri putarem,vbi Moyses loquitur:Non dedit vobis do-

Deut.29 minus cor intelligens & oculos videntes & aures quæ possint audire,vsque in præsentem diem.Hęc vel Isaias vel Moyses de excęcatione & surditate eorum loquitur. Et Dauid inde dicit: [Mẽsa eo-

Psalm.68. rum,]id est,scriptura quæ variis sententiarum fer culis consueuit eos pascere,fiat in laqueũ,] id est, vertatur eis in laqueum vt illaqueet eos.[corã ipsis,]id est videntibus ipsis,vt iniquitatem suam agnoscant,& in ea pertinacissime perseuerent:tantumque valeat animi ipsorum præsumptio,vt coram ipsis laqueus sit,& incidant in eum.Hæc non

B optantis,sed prophetantis sunt verba: non imprecantis vt hoc fiat, sed prædicentis quòd hoc fiet. Fiat ergo,quia nõ potest aliter , nisi vt talibus ista eueniant,esse.Fiat illis mensa in laqueum,vt scriptura male intellecta illaqueet eos,& faciat inhærere literæ,ne veniant ad Christum & ad euangelium. & fiat illis [in captionem,] vt capiat eos & teneat,ne recedere possint à vetustate . & fiat illis [in scandalum,]vt per eam scãdalizentur in Christo fabbatis operante virtutes.& fiat [illis in retributionem,]vt per eam recipiant malorum suorũ vicissitudinem,id est,ęternam damnationẽ.[Obscurẽtur oculi]cordis[eorũ,ne videant,] vt quoniam sine causa viderunt, fiat illis & non videre. Et post oculorum obtenebrationem[incurua semper dorsum eorum,] vt postquam cessauerint superna cognoscere , semper de inferioribus cogitẽt.Qui enim supernis intendũt, curuum dorsum non habent:quia erecti stant,dum spem repositam

C sibi in cælo expectant.At verò qui futuræ vitę spẽ non intelligunt , iam excæcãti de terrenis & infimis cogitant . & hoc est habere dorsum curuum, quia terram semper intuetur qui curuus est.Et tales sunt nunc omnes Iudæi , similes scilicet brutis animalibus , quorum vultus in terram pronus est & ventri intentus.

Dico ergo:Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorũ delicto salus gentibus,vt illos æmulentur.Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium,quantò magis plenitudo eorum?

Quoniam Iudæos auctoritate prophetarũ docuit excæcatos esse,& scandalum, id est, offendiculum & impactionem pedum pertulisse, ne gentiles his verbis haberent occasionẽ spernendi eos, ingreditur iterum loqui de salute eorum . Quia, inquit , aspere loquutus sum de excæcatione eorum,& offensione,[ergo]ne quis desperet de salu D te eorum,[dico:Nunquid sic offenderunt,]id est, pedibus impegerunt,[vt caderent?]id est,vt tantummodo caderent quasi ad pœnam suam solum. [Absit.]Quasi non ceciderunt , quia nec omnes ceciderunt:& quidam ex his qui ceciderũt, Iudæi prædestinatione semper stantes fuerunt,& ex casu cæterorum mundus est erectus.Non enim irreparabiliter & sine vtilitate ceciderunt,sed casus eorum prodest,& ipsi possunt restitui.Absit vt ex toto caderent.Non ita ceciderunt, [sed illorum delicto salus est gentibus.]Ipsum eorum lapsum talem esse dicit,non vt illi caderẽt,sed vt delicto suo salutem gentibus darent . Deinde incipit ex hoc loco Iudæorum populum commendare,& de ipso casu infidelitatis,vt non superbiant gentes , quia etiam casus Iudæorum tam precios⁹ extitit pro salute gentium,sed magis caueant, ne dum superbiũt,similiter cadant.Absit,inquit, vt caderẽt,sed illorum delicto salus est gentibus . Non dixit quia non ceciderunt , sed quia illorum casus non fuit inanis:quoniam ad salutem gentium profecit , dũ E prædicatores euangelij à se repellerent, & ad gentes migrare facerent.Delicto illorum salus est gẽtibus,quia propter necem saluatoris dispersi , per omnes gentes gerunt scripturas sanctas,& testimonio nobis sunt,prophetias nos nõ finxisse de Christo,& fidem gentium corroborant. Illorum delicto salus est gentibus,[vt illos æmulentur Iudæi, hoc est,imitentur.Hoc sæpe factum est,& plenius *al.sanè* fiet in fine seculi,quãdo Iudæi Christianos sequẽtur in fide Christi . Nam sicut nũc illorum lapsus salutem gentibus dedit, ita nunc gentium fides & conuersatio Iudæis æmulationem conuersationis confert & salutis.Potest etiã intelligi,vt gentes Iudæos æmulentur,id est,vt credant sicut & ipsi crebebant,vt dei æmulatione contra opera eorũ mala moueantur.Dixi delictũ eorũ prodesse.[Quòd si,]hoc est , sed si[delictum,] id est,quòd Christũ occiderunt,vel verbum prædicationis repulerũt, [diuitiæ sunt mundi,]id est,ditauit mundum fide F & religiosis operibus & moribus , [& diminutio eorum.]id est,paucitas ad fidem conuersa,hoc est, pauci de eis conuersi,[diuitiæ sunt gentium,] id est,ditauerunt gentes fide & virtutum perfectione,ac spiritus sancti charismatibus, [quantò magis plenitudo eorum,]quæ in fine mundi conuertetur,ditabit mundum? Id est,si malum eorum vertit deus in bonum,hoc est,in diuitias mundi,multò magis bonum eorum , cũ in fine multitudo vel plenitudo eorum conuersa fuerit , ditabit gentes doctrina & exemplo.In quo ostendit nec inutilẽ, nec irreparabilem casum eorum.Mirabiliter enim disponit omnia dei sapientia,apud quam nec ipsa delicta,nec lapsus inutiliter cedunt . Nam cum vnusquisque ex propositi sui libertate delinquat, dispensatio diuinæ sapiẽtię per hoc ipsum,in quo illi damno suæ negligentię pauperes fiunt,alios diuites facit:sicut nunc delictum Iudæorum ditauit gentes,vt eorum sine labore legis fierent cohæredes & concorporales⁹. Potest & ita intelligi quod

aut,